

W. 528, 44.

B. m. II, 40

X 1860555



L. F. S.  
**EPISTOLAS VETERUM**

DISSERTATIONE PUBLICA,

SUB MODERAMINE

VIRI

*Excellentissimi, Amplissimi, Clarissimi*

**DNI. GEORGI CASPARIS**

**KIRCHMAJERI,**

Eloquent. in almâ Leucoreâ P. P. Celebra-

tissimi, Dni. Patroni, Hospitis, & Præceptoris

ætatem honorandi

Publicæ piacidæq̄vè συμφιλολογούντων ἑξέτασει

Ad d. XX. Junii

ANNO M. DC. LXIIX.

Horis Antemerid.

*In Auditorio Majori*

EXPONET

**SALOMON STEPNERUS,**

Eibenstochio-Misnicus.



WITTEBERGÆ, Literis JOHANNIS HAKEN.



u 29.



1014.  
VENERABILI SENECA,  
REVERENDA DIGNITATE,  
PROBATAQVE INTEGRITATE

*CLARISSIMO VIRO*

DNO. M. EHRENERI-  
DO COTHENIO,

*Per hos ipsos XLV. ANNOS*

ECCLESIAE HIRSFELDENSIIUM

Pastori vigilantissimo, nec non ZVICKAVIEN-  
SIS Dioeceseos SENIORI Gravissimo,

*Avo suo Materno omnibus observantiae nominibus  
colendo*

Primitias hasce Academicas

*In recordationem Beatissimi Fratris  
susceptas*

D. D. D.

Salomon Stepnerus, Autor  
& Respondens.



# PRÆLOQVIUM.



Estinārat Frater meus dilectissimus,   
 νῦν ἐν ἀγίοις, M. DANIEL STEPNE-   
 RUS, fato tristissimo mortalibus ante   
 hoc fere bienniū ereptus, inter plures   
 ingenij fœcundioris partus, DE AU-   
 GURIBUS AUGURIISq; ROMANO-   
 RUM agere in publico. Hoc argu-   
 mentum priusquàm exponeretur luci,   
 de VETERUM EPISTOLIS theses ali-

quot conscripsit, ut facere hîc loci solent, qui disputando   
 Præsidum munus experiri volunt primò. Quod ejus hone-   
 stissimum propositum, ferali casu impeditum, à me non suf-   
 flaminandum planè visum est. Quamobrem illa ego stami-   
 na, quæ per unam alteramqve solummodò pagellam duxe-   
 rat Germanus meus Beatissimus, nisu meopte in telam latio-   
 rem amplificare, ac ut fraternæ pietati satis facerem hâc par-   
 te, nullus dubitavi. Faxit gratiosum Numen, ut feliciter   
 succedat labor!

## CAPUT I.

*Exhibens ἑτυμον Epistolarum, & earundem συνώνυμα   
 sistens.*

Non incongruè ab ipso nomine, quod Græcanicæ origie-   
 nis, primordia capessimus, & παρὰ τὸ ἐπιστολὴν Epistolam   
 deducimus; unde refutantur, qui *Epistulam* amplectuntur ma-   
 gis cum *Politiano*, *Scheckio*, alijsq; quos ad Thuscos Umbrosq;   
 amandamus cum *Scalig* de *Caus. Læ. Læ. c. 21.* conferatur & *Li-*   
*psius* *Instit. Epist. c. 1.* it. de orthogr. Proprio Latinis si reddend-

A 2 duur



dum foret vocabulo, *Missiva* diceretur: quod etsi Latio donatum non sit, modernorum tamen Germanorum ut plurimum in ejusmodi negotiis cessit usui. Eruditis frequentantur in hoc significato *Litera: Poëtis etiam Litera: Ovidio* nempe de Pont. lib. 1. el. 8.

*Litera pro verbis tibi Messaline salutem*

*Quam legis à sevis attulit usq; Getis.*

lib. 2. el. 7.

*Esse salutatum Te vult mea Litera primum* confer lib. 4. el. 8. Trist. lib. 1. el. 11. lib. 3. el. 7. Amor. lib. 1. el. 12. Trist. lib. 5. el. 12. *Martial. Epigr. lib. 10, 73. Claudiano Epist. 3. vers. 21. Tibull. lib. 3. Eleg. i. v. 12. lib. 3. eleg. 2. v. 27. in quam rem lege quæ Laur. Val. la differit Eleg. lib. 2. c. 8. Librum* quoque idem denotasse haud dubiè colligimus ex *Nepote Cornelio*, qui in vitâ *Lysandri* cap. 4. *Librum* nominat, quod epistola *Plutarcho* dicitur in ejusd. vitâ tom. 1. fol. 444. Et hujus vocabuli diminutivo *Naso* eandem rem expressit de Ponto lib. 4. el. 12.

*Quo minus in nostris donaris amice Libellis,*

*Nominis efficitur conditione Tui.*

*Nec aliud sibi volunt Codicilli & Tabula, seu Tabella ap. Plautum* Perf. act. 2. Sc. 2. v. 65.

*Toxilo has fero tabellas hero tuo*

*Martial. lib. 1. epigr. 2.*

*Hos eme, quos arctat brevibus membrana tabellis.*

quibus addas licet *Cicer. 3. in Catilin. §. 13.*

Illorum usus erat in itinere cum primis, aut subitaneo negotio: quò haud dubiè *Cicero* respexit fam. lib. 6. epist. 18. *Siculum, ut accepi à Seleuco tuo literas statim quasi è Balbo per codicillos, quid esset. & c. videatur idem fam. lib. 4. ep. 12. lib. 9. ep. 26. ad Attic. lib. 12. ep. 8. ad Q. Frat. lib. 2. ep. 10. Et ne uni tantum inhaereamus auctori, præstò est *Svetonius: apud què Caligula equitem Romanum tumultuantè extemplò cum codicillis amandavit ad Prolemæum, Mauritaniæ Regè uti in ejus vitâ habetur cap. 55. Ejusdè fermè usus erant Pugillares, in quibus quasi punctim ducebantur literæ: de quibus legantur *Gvid. Paucivol. Thes. Var. Lect. lib. 1. c. 28. fol. 30. Salmuth. ad ejusdem Autoris Rer. Memorab. lib. 2. tit. 13. pag. 254. i. m. ipsumq; scriptorem pag. 250 f.***

250. f. 251. pr. Grandiores verò epistolæ, quæ complicabantur, volumina audiebant. ceu evincunt ex parte jam laudati, & præter illos Cicero fam. lib. 3. ep. 7. Legati, inquit, Apameani mihi volumen à Te plenum quærela Injustissima reddiderunt, quòd eorum edificationem meis literis impedivissim. Eadem epistolâ quærebas &c. adde lib. 16. est. 17. M. præterea Val. Martialis Chartas epistolares nominat in lemmate Epigrammatis 9. libri 14.

## CAPUT II.

*Continens originem epistolarum, earundemq; indagans inventionem.*

De nomine cum constet, originem indagabimus epistolarum: ubi, quamvis de inventore primo certi quid habere haud possimus; non tamen ab eorum stamus sententiâ, qui ad *Cæsaris* usque tempora eam rejiciunt, ipsisq; sibi detorsione quâdam tantum non ridiculâ imponunt loci cujusdam è *Plutarcho*, ubi in vitâ ejus memoratur, quòd mutua amicorum per epistolas colloquia excogitarit primus, cum ob negotiorum multitudinem, & urbis magnitudinem vivos urgentium causarum affatus haut tempus expectaret. Veruntamen, magnorum judiciis virorum ad codicillos melius verba illa referuntur: cum ergo, quod amplius excipiant, non habeant illius sententiæ propugnatores, nos etiam missos illos faciemus, & suo judicio abundare patiemur. Ex Sacris antiquitatem harum probaturi afferunt aliquid de annulo sigillatorio *Judæ*, quem *Tamar* ab eo acceperat: & de illo quo *Josephus* Rex ornârat *Ægypti Pharo*: nitentes vocabulis Hebraicis כתב & בעט quæ tametsi ratione originis signationem, sigilli impressionem, &c. importent, nondum tamen evictum est, literarum consignationis gratiâ gestatos annulos. Confer, si placet, *Polydor. Virgil. de Inv. Rer. lib. 8. cap. 2. pag. m. 529. m.* Et licet *Josephus* contra *Appionem* lib. 1. pag. m. 821. lin. 11. litem motam velit, utrum scilicet ante bellum *Iliacum* non epistolarum modo, verum & literarum omninò usus fuerit: nullusq; dubitet asserere, ne *Homerum* quidem poemata sua literis reliquisse; ex Sacro tamen Codice aliud edocti, fidem ei minimè in his-

1037  
ce tribuimus, ubi tabulas Decalogi ipsius DEI digito scri-  
ptas deprehendimus: *Mosis* postea res ab ipso gestas con-  
signatas ordine novimus: speciatim verò literarum exem-  
plum legimus de *Uriâ*, cujus historia à profanis sub *Bellero-*  
*phontis* fabulâ celebratur: hanc autem bellum istud ante-  
cessisse, nemo negabit facilè: ut non inconsultò dixerit, qui-  
cunque dixit: *falsus ille non fuerit, qui cum ipsis literarum ele-*  
*mentis natas putârit epistolas.*

### CAPUT III.

#### *De materie, in quâ scriptæ epistola.*

Varia hæc admodum apud veteres fuit. Nonnulli quippe in  
ligno literas exarabant, & cerâ purissimâ (quo refer *Pro-*  
*pert.* lib. 3. eleg. 23. vers. 8.) quò faciliùs & commodiùs exarari  
possent literæ, obducebant. Hinc toties celebrata vete-  
ribus *Cera Plauto* cum primis *Afin.* 4. sc. 1. v. 22.

*Ne illi sit cera, ubi facere possit literas.*  
adde *Bacch.* act. 4. sc. 4. v. 76. *Ovidio* *Amor.* lib. 1. Eleg. 12.  
vers. 7.

*Ite hinc difficiles, funebria ligna, tabella,*  
*Tuq; negaturis cera referta notis.*  
& vers. 23.

*Apertiùs hæc capiant vadimonia garrula cera.*  
vide *Martial.* lib. 14. Epigr. 2.

Tabulæ autem ejuscemodi inventionem singulari ad literas se-  
cretissimas accommodabantur ab *Hasdrubale*, seu quis alius  
fuit: pugillaria quippe ille nova, nondum etiam cerâ oblita  
accepit: literas in lignum incidit: postea tabulas, ut solitum  
erat, cerâ conlevit, easquè tabulas, tanquàm non scriptas,  
cui futurum id prædixerat, misit: qui deinde etiam derasit,  
literasq; ligno incisas legit, uti his ipsis verbis adnotata i-  
sta fuit res à *Gellio* *Noct. Attic.* lib. 17. c. 9. Tabulas istas lite-  
rarias ligneas fuisse confirmant *Plautus* *Pseud.* act. 1. sc. 1. vers.  
45. *Ovid.* *Amor.* lib. 1. el. 12. vers. 15. *Prop.* lib. 3. el. 23. 22. *Fin-*  
*gebantur* eæ ex variis ligni generibus. α. ex *abiete* *Plaut.* *Perf.*  
act. 1. sc. 2. v. 66.

SO. Toxilo has fero tabellas tuo hero. -- -- --

PAE. At ego hanc ad Lemniselenen tuam heram obsignatam abie-  
tem.

C. ex acere. Ovid. Amor. lib. 1. eleg. II. vers. ult.

-- -- -- Veneri fidas sibi Naso tabellas

Dedicat; at nuper vile fuistis acer.

γ. ex ulmo: ex Juvenalis Interprete ad sat. II. hoc observat Passeratus ad Propert. 3. 23. 22. & ex buxo. Propert. 3. 22. 8.

Vulgari buxo sordida cera fuit.

E. ex Tiliâ Symmachus lib. 4. epis. 34. Itaneme ludos facis,  
ut quæ apud Te incuriosus loquor, in stili caudices, aut tiliæ pugilla-  
res censeas referenda: ne facilis senecta papyri scripta corrumpat cō-  
feratur hinc Salmuth ad Pancirol. Rer. Memor. lib. 2. tit. 13. pag.  
252. b. f. 253. a. pr. Z. ex citro. Martial. lib. 14. epigr. 1. lemma:

Pugillares citrei.

Seeta nisi in tenues essemus ligna tabellas,

Essemus Libyci nobile dentis opus.

quibus aurum non raro additum ex Passeratio innotescit ad  
Propert. l. c. fol. 540. b. I. H. ex Smilace Plinius Nat. Hist. lib. 16.  
cap. 35. E smilace sunt codicilli.

II. Nec in lignis acquiescebant; ebur quoque, idque ni-  
grâ illitum cerâ assumebatur, testis Martialis: lib. 14. Epigr. 3.  
Lemma: Pugillares eborei

Languida ne tristes obscurent lumina cera,

Nigra tibi niveum litera pingat ebur.

III. Quas verò publicè asservari, & perennitati conse-  
crare animus erat, plumbo incidebantur: in quo suffragantē  
habemus Plinium Hist. Nat. lib. 13. c. II. Publica, agentē, monu-  
ment a plumbeis voluminibus consignari capta. unde & in Sacris  
afflictissimus Jobus optat dolores suos cruciatūsque stylo fer-  
reo, & plumbi laminâ, vel certè in silice sculpi, ut ad æter-  
nam sui memoriam posteritati servarentur.

IV. In arborum quoque foliis scriptitatum ex Maroniano  
carmine discimus; quando Æn. 3. vers. 444. Helenus Ænez  
Sibyllæum prædicat vaticinium in hæc verba:

quin

quoniam rupe sub ima

Fata canit, foliisque notas & carmina mandat:  
 Quaecumque in foliis descripsit carmina vates,  
 Digerit in numerum, atque antro seclusa relinquit.  
 quod idem Aeneas apud eam vaticinaturam deprecatur lib. 6.  
 Aen. vers. 74.

-- -- Tantum foliis ne carmina manda.

V. Et quamvis Sibyllinos dein libros linteis perscriptos ex Symmacho colligi posse videatur (monitus enim Cumanos linteae texta sumpsisse ait loco cit.) prius dictis tamen non adeo repugnat, cum sermo huic sit de libris, quae Romae servabantur: illis vero de iis, quae in antro vaticinans foliis disponebat, ventorum ludibrijs expositis. Sed & sericis vulgatum erat voluminibus consignare aliquid, idque Persis in acceptis maximè ferendum, ex jam citati sententiâ Symmachi, cujus haec l. c. sunt verba: Tu etiam sericis voluminibus Achaemenio more infundi meas literas praecipis. Adstipulatur Alexand. ab Alexand. Genial. Dier. lib. 2. cap. 30. haud multò post in sindonibus scribere inceptarunt. Confer Livium lib. 4. cap. 42. Ita in Ulpianâ bibliothecâ inter libros linteos inventam epistolam D. Valeriani ex Flavii Vopisci Aureliano allegat Th. Dempsterus ad Rosin. Antiqu. Rom. lib. 3. cap. 24. pag. 311. b. m. quem ulterius ibidem legere non poenituerit pag. 312. a.

VI. Fidem ulterius si habere licet laudato Dempstero, criticam Isidoro Hispalensi lib. 6. cap. 12. adhibenti manum, in omentis elephantum etiam scribebant.

VII. Nota illa de chartis & papyro sicco potius praeter eo pede, ceu unicuique obvia, quam ut ad eorum probationem in adducendis autorum testimonijs prolixus sim.

IX. Nec minus membranas illas Pergami inventas multis probare supersedeo. latius enim de iis disquirere, instituti ratio non permittit. Conferantur saltem Pancirol. in Theaur. Variar. Lect. lib. 1. cap. 27. & 28. fol. 29. usque 32. & Rerum Memorab. lib. 2. tit. 13. pag. 250. 251. & ejus Commentator, Henr. Salmuth pag. 251. usque 261. Alexander ab Alexand. lib. 2. Genial. dier. cap. 30. pag. 108. 109. & qui haec uberius omnia tra-



tractavit *Ampliss. Dno. Praeses* in Collegio privato ad Just. Lipsii Inst. Epistol. c. 1.

IX. Hoc tamen omninò addendum censeo, quod nuper apud *Herodotum* in *Uraniâ* inventum est; in *lapidibus à Themistocle* Epistolam incisam, verba ejus hæc sunt: *Quorum Atheniensium velocissimis nauibus delectis, Themistocles ad aquas potabiles se conferens, in lapidibus literas incidebat: quas postero die Jones ad Artemisium venientes legerunt &c.* Hæc *Themistocles* (ut arbitror) ancipiti consilio scripsit: ut si litera regem laterent, Jones induceret ad deficiendum à rege ad se: sin ad eum deferrentur &c. fol. 204. edit. *Henr. Stephani*.

Nec illud jam prætereundum, chartas oleo cedrino, ne cariem sentirent, titulosq; minio illustrari solitos. *Ovidius* hoc asserit:

*Nec Titulus minio, nec cedro charta notetur.*

& *Jure-consulti* suis adhuc *Rubricis* comprobant, quarum mentionem *Persius* injicit *Satyr. 5. vers. 90.*

*Excepto si quid Masuri Rubrica notavit.*

*Cedro* verò digna locutos proverbio dicebant, cujus scripta immortalitatem mererentur. de quo legantur *Erasm.* *Chiliad. fol. 181. b. m.* & *Cognatus* ap. eundem fol. 195. 2. *Salmuth.* ad *Pancirolo. Rer. Memorab. lib. 1. tit. 42. pag. 144. & 145. Commentar. ad Horat. Art. Poët. vers. 332.* Singulare est, quod *Alexander ab Alex. lib. 2. Genial. dier. cap. 30.* refert, epistolas in triplicibus tabulis, in quintuplicibus honores & magistratus: in duplicibus, si quid esset arcanum & subticendum, interioresq; animi notas magis adnotatas. pag. 108. b. f. cui suffragatur duobus Epigrammatis *Martialis. lib. 14.* quorum primum est lemmate hòc insignitum:

*Pugillares quintuplices,*

*Cede juvencorum domini caret area felix,  
Quintuplici cerâ cum datur auctus bonos.*

alterum:

*Pugillares triplices.*

*Tunc triplices nostros non vilia dona putabis  
Cum se venturam scribet amica tibi.*

B

CAPIT



## CAPUT IV.

*De Forma Scibendi Epistolas.*

Materiem hōc modō perlustratam iusto insequitur ordine forma, quæ in eo consistebat, quòd plerumq; in alterâ tantum facie a folii capite incipientes, ad finem ejus scribebant, quod *Syngrapham* vocabant: quando verò una facies scriptioni non sufficeret, ut & in alterâ aliquid exararetur literarum *opistographum* audiebat observante *Alexandro ab Alexand.* Genial. dier. lib. 2. cap. 30. quod equidem rarò admodum factitatum novimus, & cã de causâ *Plinium Nepotem* ajunt, quando de libris Avunculi sui agit, addidisse, inter alia operæ electorum commentarios centum & sexaginta reliquisse *opistographos*, id quod dictu fuisset superfluum si quilibet hunc scribendi morem observasset, ut *Guido Pancirol.* annotat *Rer. Memor.* lib. 1. tit. 24. pag. 140. Cujus vocabuli ridiculam ferè cum *Henrico Salmuth* notamus originem ab *Ulpiano* proditam, ac si diceretur ab *opibus* & *grapho*, quasi *Scripturam opum* nominare velis. Cum potius suos Græciæ natales debeat, à re deductum ipsã, quod ὀπισθεν, à tergo simul scribebantur. Causam verò ejus rei, cur ut plurimum alterâ chartæ facie contenti scriberent, assignare possemus, ne vel in convolvendo scripta exterius detererentur citius; vel ne à quolibet cognosci quirent: vel nimiam sæpe etiam chartæ tenuitatem, quæ scriptionem in utròq; latere non admittebat de quo *Plinium* audiamus *Nat. Hist.* lib. 13. cap. 12, *nimia Augusta* (chartæ) *tenuitas tolerandis non sufficiebat calamis: ad hoc, trans mittens literas litura metum adferebat adversis, & aliàs indecoro visu pertranslucida* in quem locum consulatur *Dalechamp.* pag. 609. f. lit. h. Et *Apollinaris Sidonius* lib. 2. ep. 9. *erubescere se ait, epistola tergum madidis sordidare calamis.* vel deniq; ex mente *Henrici Salmuth* ad *Pancirol.* l. c. *ut è regione adjicere quæ opus forent, liceret. Aversa enim pagina folij prioris, & adversa sequentis contra se posita facilem & unum quasi intuitum exhibent eorum quæ utrobique scripta sunt.* quem de contemptu *opistographorum*, ut sæpè integumenta epistolarum facta fuerint: de *diarijs opistographis* ulterius differentem qui legitur

rit

rit pag. 145. 146. haud egerit præposterè. *Pancirolo*. it. *Theſaurus*  
*Var. Lect.* lib. 1. cap. 28 fol. 32. c. & lib. 2. cap. 108. fol. 208. D. Uni-  
 cum adhuc notabo circa hæc, veteres nimirum, quando in  
 paginas distinguebant scriptum, in exteriori folij parte *bacillum*  
 quendam ex cedro vel ebore adglutinasse, cujus caput volu-  
 mine complicato hinc inde proflaret, argento, auro, vel e-  
 tiam gemmis ad ornatum præmunitum. Unde toties mentio  
 ap. Poëtas, *umbilici & Cornuum*: ita enim vocabantur bacilli  
 & quando de absolute rei sermo est, ad umbilicum transla-  
 tione inde sumpta pervenisse dicitur. imò *Plautus* more suo:

*Dies quidem jam ad umbilicum est dimidiatus mortuus.*

Ubi omninò lectu digna notata *Taubmanni* pag. 696. B. 2. ut  
 & in proverbium abierit ap. *Erasmus* Ch li. fol. 571. b. pr. Lo-  
 ca *Ovidii*, *Martialis*, *Horati* libens prætereo, cum fusè alle-  
 gata sint à *Pancirolo*. *Theſ. Var. lect.* lib. 1. cap. 28. fol. 31. E. 32. A &  
*Rer. Memor.* lib. 1. tit. 47. ibiq; ab *Henrico Salmuth*. pag. 143. ut &  
*Commentar.* ad citatorum Poëtarum verba.

## CAPUT V.

### *De Inscriptione Clausula, Subscriptione & Super- scriptione.*

Hæc antequam evolvauiſſemus sciendum, Laconibus  
 in more positum, nullâ harum uti; Sed quinque  
 nonnunquam ad summum verbis totam absolvere episto-  
 lam. Notares è proverbiiis: *Laconismus*. *Laconizare*. ap.  
*Erasmus* Chili. fol. 109. b. m. 277. b. pr. 352. a. m. Formulæ hæ  
 deprehenduntur:  $\xi\kappa$ .  $\alpha\iota\kappa\alpha$   $\eta$   $\tau\alpha\nu$ ,  $\eta$   $\beta\pi$   $\iota\delta\varsigma$  v. *Plutarch.* in  
*Alcibi.* tom. 1. fol. 207. & de *Garrul.* tom. 2. fol. 511. *Meursium*  
*Miscell.* Lacon. lib. 3. cap. 4. pag. 64. In reliquis certæ ob-  
 servabantur formulæ; apud Græcos ab *Epicuro*  $\epsilon\upsilon\delta\iota\alpha\gamma\epsilon\upsilon\iota\nu$ : à  
*Platone*  $\epsilon\upsilon\pi\epsilon\gamma\epsilon\tau\tau\epsilon\iota\nu$ : ab aliis  $\upsilon\gamma\iota\alpha\iota\nu\epsilon\iota\nu$ : ab aliis  $\chi\alpha\iota\pi\epsilon\iota\nu$ . Roma-  
 nis placebat primis tantum literis votum absolvere S. P. D.  
 vel S. D. vel S. P. vel S. aut etiam S. V. B. E. E. Q. V. Inter-  
 dum ex parte integris vocibus, & ex parte literis initiali-  
 bus utebantur. *Cicero* fam. lib. 12. epist. 51. Si valetis, liberi que  
 V. V. B. E. E. Q. V. & lib. 15. epist. 1. Si vos B. V. B. E. E. Q. V. &  
 B 2 epist.

epist. 2. Si V. B. V. B. E. E. Q. V. Interdum planè integris verbis  
perscribebant; Si vales, benè est. Si tu exercitusq; valetis, be-  
nè est. Poëtis salutationem ejusmodi versibus includere li-  
bet *Martial.* lib. 12. epigr. 11. v. 1.

Parthenio dic, Musa, viro nostroq; salutem.

*Horat.* Epist. 1. 8. vers. 1.

Celso gaudere, & benè rem gerere Albinovano  
Musa rogata refer.

vide loca *Ovidii* cap. 1. allegata. ulterius *Trist.* lib. 5. eleg. 13.  
de *Ponto* lib. 1. eleg. 4. el. 9. & 11. lib. 3. el. 2. el. 4. el. 5. vers.  
5. & 6. lib. 4. eleg. 9. & el. 13. Interim per Majestatem omissam  
salutationem in *Alexandro Magno* post devictum *Darium* ex  
*Plutarcho* observavit *Lipsius* *Instit.* Epistol. c. 3. Cæterum in  
quarumlibet fronte literarum geminum legebatur semper  
nomen, ejus scilicet qui scribebat, & ejus, qui epistolam ac-  
cipiebat: hâc usque observatâ serie, ut illud præcederet, hoc  
vero sequeretur, planè moderno contrariô ordine. Clara  
res ex *Ovidio* de *Ponto* lib. 1. el. 11.

*Naso* suo profugus mittit tibi, *Flacce* salutem.

ex *Ausonio* Epist. 5.

*Ausonius* Salve caro mihi dico *Theoni*.

& Epist. 6.

*Ausonius* Consul vatem resaluto *Theonem*.

ex *Plauto* in *Pseud.* act. 1. sc. 1. vers. 39.

*Pbœnicium* *Calidori* amatori suo

Per ceram & linum literasq; interpretes

Salutem mittit, & salutem abs te experit.

ex *Gellio* lib. 20. c. 5.

Ἄριστέλης βασιλεῖ Ἀλεξάνδρῳ εὐπρόσπειν.

Ἀλέξανδρῳ Ἀριστοτέλει εὐπρόσπειν.

ex quo simul confirmatur, seriem hanc ne in subditi quidem  
epistolâ ad Regem inversam: *Plinius* enim *Trajano*, non *Tra-  
jano* *Plinius*: *Cicero* homo privatus *Cassio* *Propratori*, *Quatu-  
or* *viris* & *Decurionibus* salutem dicit, non verò vice versâ eam  
nunciabant. Causam ejus rei hanc notavit *Lipsius*, quòd pri-  
ma legentis cogitatio & desiderium sit, scire à quo missa sit  
episto-

1079.

epistola. Inst. Epist. c. 3. Eteâ de causâ *Ausonius* propter me-  
trum ordinem consuetum invertere coactus, statim subne-  
ctit excusationem epist. 20.

*Paulino Ausonius. Metrum sic svasit, ut esses*

*Tu prior & nomen prægrederere meum.*

Ab epistolis porro veterum omnis exulabat titulorum lu-  
xuries & lenocinium, & absque verborum fuco profere-  
bantur omnia, nihil adjicientium quod assentationem aut  
blandimentum redoleret: nisi quòd familiares voce SUIS  
uterentur, ut exempla ubivis obvia ap. *Ciceron. Plin. Auson.* i-  
mitatoremque ferè perpetuò suis in epistolis *Lipsum*. Egre-  
giè fanè in hanc rem *Symmachus* lib. 2. ep. 35. *Ego quoq; in scri-  
bendo formam vetustiore amplexor, nimisq; miror, quòd mihi li-  
brarii error obrepserit, qui solitus epistolis meis nomina sola præpo-  
nere, usum simplicem novellâ adjectione mutavit. Sed id potiùs  
casu, quàm consultò factum liquebit, si recorderis superiores nun-  
quam istiusmodi titulo sorduisse. Et mox: quousque enim dan-  
da ac reddenda salutationis verba blatterabimus? Et lib. 3. ep. 44.  
Concedo in leges tuas, & δεχαιομὸν scribendi non invitus affecto.  
& c. Vis epistolis nostris more majorum nuda nomina proferan-  
tur? Optimè tamen lib. 4. ep. 30. Redeamus quin E. ad infu-  
catos nominum titulos, & cum dicitur & redditur salus, nihil ipsis  
vocabuiis nostris honoratius & blandius esse ducamus: Officii e-  
quidem, itemque Tria cujusque (quæ more Romano habe-  
bat) nomina rarò omittebantur: procul tamen omnibus,  
quorum usus hodiè utramque paginam ferè facit, blandimè-  
tis: quæ ut notissima ex *Tullio* aliisq; quorum *Epistolæ* resi-  
duæ sunt, cum probatione omninò non egeant, indigitasse  
hic sufficiat.*

CLAUSULA ut plurimùm Græcis verba χαῖρε ἔρρωσο  
Latinis per *Vale* absoluebatur. clara res è *Cicerone, Plinio, Au-  
sonio* & c. *Tulliana* ferè sunt: *Fac Valeas. Valetudinem Tuam,  
fac cures. Ama nos, & vale. Etiam atque etiam vale. Cura nihil ali-  
ud nisi ut tu valeas.* quandoque *Vale & Salve* conjunctum & il-  
lud ulterius geminatum reperimus ap. *Cic. fam. lib. 16. ep. 6.*

B 3

Vale,

*Vale, mi Tiro, vale, vale, & salve. & ep. 9. Etiam atque etiam  
noster Tiro vale. vale & salve.*

Quæ dicendi formulæ à congressibus hominum peti-  
tæ sunt, in quibus *Ave, salve, vale*, utebantur: illud quidem  
matutino accommodatiùs videtur tempori, hæc reliquo usui  
cessere. de quibus videantur *Taubm.* ad Virg. Georg. lib. 2.  
v. 462. pag. 207. b. i. ad Æn. II. v. 79 pag. 964. b. i. ad Plaut.  
Asinar. act. 3. sc. 3. v. 4. pag. 143. a. i. ad Capteiv. act. 3. sc. 5.  
vers. 86. pag. 203. a. i. *Pontan.* ad Virg. Æn. l. c. fol. 2100. B. &  
*Job. Ludovic. de La Cerdâ* ad eundem fol. 556. 2. 557. 1. 2.

Vale dicto, *LOCUS* si ignotus ei, cui inscribatur epi-  
stola, esset, addebatur, sin vero probè constare posset, omit-  
tebatur. ut videre est ap. Cicer. pluries.

*TEMPORIS* verò potior habebatur ratio, ut præter  
*diem* adderetur etiam, num *vesperi* vel *interdiu* scriptæ  
essent. En *Ciceronem* fam. lib. 16. epist. 6. VII. *Idus Novem-  
bris. Actio. vesperi.* Imò *Augustus* adeò strictè observari hoc vo-  
lebat, ut *ad singulas epistolas horarum quoque momenta, nec diei  
modo, sed & noctis, quibus data significarentur, adscripserit*, testante  
hoc in ejus vitâ *Svetonio* cap. 50. & vestigia invenimus ap. *Cice-  
ronem* hujus rei. fam. lib. 16. epist. 14. *Vale IV. Idus Aprileis. horâ  
III.* Hinc est, quòd idem erga *Cælium* conqveratur de literis  
ab eo acceptis, *quod neque unde, neque quo die data essent, signi-  
ficasset: præsertim cum nec is, qui, attulerit, ab eo acceperit, ut ex  
hoc sciri potuerit, quo ex loco, aut quo tempore essent data.* fam.  
lib. 2. epist. 19.

Seqveretur jam *SUBSCRIPTIO NOMINIS*, quæ tamen  
primis omninò nulla fuit temporibus, cum jam audierimus  
geminum frontem literarum præ se tulisse nomen & ex *Scri-  
ptoribus Romanis* suâ sponte patefcant. *Lipsius* hinc excludit li-  
teras ad Imperatorem datas, quibus sub speciem honoris &  
obsequij subscriptum ait, *se devotos esse.* quò tamen plurimi ho-  
diè per ignorantiam cum assertatione abutuntur.

*SUPERSCRIPTIONEM* (five superinscriptionem dicas,  
proinde est:) tabellariorum causâ adjectam arbitror, ne sci-  
licet, ubi diversæ diversis tradendæ concurrerent epistolæ,  
error

error subnascat, & huic deferatur, quæ illi inscripta esset: & quanvis *Lipsius* alicubi præter signum & linum aliud in epistolâ exteriori neget, explicit tamen seipsum, quod non adeò rigidè abnuat, quin aliquando superscriptum: vel excusari potest, quod loquatur de iis quæ in urbe manerent: ut ita maneamus in iudicio *Ampl.ß. Dni Præsidis* in notis collegio privato ad eum locum *Lips.* additis: non omnes habuisse, nec caruisse tamen omnes in inscriptione: confirmantis hoc ex loco *Tullij ad Attic. lib. 6. epist. 3. & Plutarchi*, quem ipse paulò post adducit *Lipsius. l. c.*

## CAPUT VI.

### *De Complicatione Epistolarum:*

Scriptæ itaq; prædicto modo epistolæ pro diversâ sui conditione diversimodam sortiebantur complicationem; quæ enim in paginas distinctæ non erant, in orbem obvolvebantur, unde & volumina salutabantur, ut in principio audivimus: ita quidem, ut scripta pagella ultima interiore loco, prima exteriori loco haberetur. Quarum figuram sæpius exhibet *Guid. Pancirol.* in Commentar. in Notitiam Dignitatum tam orientis quàm occidentis lib. 1. cap. 72. 92. 93. 143. 144. usq; 153. & lib. 2. cap. 34. 41. 44. 47. 68. usq; 74. 77. usq; 86. 88. 89. qui videri potest & in *Thesauro Var. Lect.* lib. 1. cap. 28. fol. 31. E. lib. 2. cap. 67. fol. 188. e. & cap. 108. fol. 208 D. uti quoq; *P. Manutij* Comment. ad *Cic. lib. 3. ad Q. Frat. epist. 1.* Quæ verò in paginas distinguebantur, velut illa cujus mentio fit ap. *Cicer. fam. lib. 2. ep. 13.* hanc fovebant differentiam ut quæ publicæ essent grandiore formâ gauderent, & transversâ chartâ scriberentur: quæ verò privaræ, exiliori. Quod ex *Sveton. Jul. cap. 56. Seneca epist. 65.* & *Isidoro* haud obscure diducit *Lipsius* *Instit. Epist. cap. 1.* & qui ex eo sumit *Taubmannus* ad *Plaut. Bach. act. 4. sc. 4. vers. 64. pag. 579. b. i.* Alia apud *Lacedæmonas* complicandi literas observabatur ratio: quædam enim earum quadratæ quædam oblongæ formæ erant: illarum exemplum habemus ap. *Flav. Josephum* *Antiq. Jud. lib. 12. cap. 5.* ubi agit de fœdere icto cum *Laconibus* *Judæis*: verba hæc sunt. *Demoteles est, qui has literas vobis reddit, in paginâ quadrangulâ scriptas & obsignatas &c.*

pag.

pag. 319. lin. 11. Hæ verò oblongæ secretiores erant, & peculiari nomine vocabantur *Scytalæ*: quæ fuisse diuntur *surculi duo teretes, oblongi, pari crassamento, ejusdemquæ longitudinis: derasi, atque ornati consimiliter: quorum unus Imperatori in bellum proficiscenti dabatur: alterum domi Magistratus cum jure atque cum signo habebat: quando usus venerat literarum secretiorum circum eum surculum lorum modicæ tenuitatis longum autem quantum rei satis erat, complicabant, volumine rotundo & simplici, ita ut ora adjunctæ undiq; coirent. Literas deinde in eo loto per transversas juncturarum oras, versibus à summo adimum proficiscentibus, inscribebant: id lorum literis ita perscriptis revolutum ex surculo, Imperatori, commenti illius conscio mittebant. Resolutio autem lori literas truncas atque mutilas reddebat, membræque earum & apices confundebat: propterea si id lorum in manus hostium inciderat, nihil quicquam conjectari ex eo scripto quibat. Sed ubi ille, ad quem erat missum, acceperat, surculo compari, quem habebat, capite ad frontem, proinde ut debere fieri sciebat, circumplicabat, atque ita literæ per ambitum eundem surculi coalescentes rursus coibant, integramque & incorruptam epistolam facile legi præstabant. Quæ scytalæ descriptio quò prolixior, eò etiam ad rei aliàs obscuræ modum combibendum accommodatior visa petita est ex Notis Atticis Gellij lib. 17. cap. 9 & totidem quot hinc scripta verbis, extat in *Guidonis Pancivoli Rer. Memorab. lib. 2. tit. de Ziferis, seu furtivis literarum notis pag. 262. fatente hoc in notis ipsum & Commentatore ejus pag. 264. b. f. De quâ ulterius agit sæpè laudatus ille auctor Thesauri Variar. Lect. lib. 1. cap. 30. fol. 34. E. Plutarchus in Lys tom 1. fol. 441. b. 444. a. in Alcibiad fol. 213. a. Aemilius Portus. ad Thucyd. lib. 1. fol. 85. num. 14. Excellentiss. Dnus Præses in Commentar. ad Cornel. Nep. 4. cap. 3. §. 4. Bosius ad l. c. ibidemque in indice Maximus Boeclerus pag. 198. b. f. Hadrian. Junius Animadv. lib. 4. cap. 14. pag. 427. tomi 4ti Thesauri Critici Gruteri. Vossius de Permut. literar. *Erasm. chil. fol. 442. a. Job, Ludov. de la Cerda ad Virg. Aen. 7. vers. 67. fol. 107. fol. 197. b. pr. Job. Meursius in Miscell. Lacon. lib. 3. cap. 4. pag. 212. 213. seqq. qui de longitudine, colore item nigro***



nigro nonnulla habet l.c. pag. 214. 215. Mentionem præterea  
scytalarum injiciunt Cicero ad Attic. lib. 10, ep. 12. Ausonius E-  
pist. 22, vers. 23. Cælius Rhodiginus lib. 9. Antiq. lect. cap. 22. fol.  
486.a.

Non multum ab hæc Spartanorum Scytalâ abludivit, quod  
de Romanorum Imperatore refert roties citatus Pancirollus,  
qui tres, nî fallor, epistolas, & tornatum lignum senatui dabat, al-  
terum illius planè simile ipsemet retinebat: post schedam oblongam  
papyri aut membranae ligno involuebat, circumligans eam instar fas-  
cie ad trochleæ seu testudinis illius formam quæ in Trajani columna  
conspicitur: tum in longum per transversum scribebat. Post sche-  
dam illam dissolutam Romam mittebat: quam senatus suo ligno im-  
plicans rectè legebat. lib. 2. Rer. Memorab. tit. 14. pag. 262. m. Et hunc  
Scytalarum usum fœneratores in suis contractibus non igno-  
râsse, auctor est ex Scholiaste Aristophanis Meursius Miscell. La-  
con. lib. 3. cap. 4. pag. 216 pr.

### CAPUT VII.

#### De Ligatione & Consignatione Epistolarum.


Complicationem excipit Ligatio, quæ subtiliori eum in  
finem fiebat lino, ne literæ aperiri possent. Exempla præsto  
ap Plaut. Bacch. 4, 4, 64.

Effer stilum, ceram, & tabellas, & linum  
& vers. 96.

Cedo tu ceram ac linum actutum. age obliga,  
obsigna citò.

Ovid. de Pont. lib. 3. eleg. 7. vers. 5.

Nostrâq; quid portet jam nostis epistola, quamvis  
Charta sit à vinclis non labe facta suis.

Bos. ad Corn. Nep. 4. cap. 4. §. 1. & Boecler. in Indice ad vocē  
vinculū. Lignum quippe vocabatur illud vinculū, quo constri-  
gebatur, obligabaturq; id, quoderat obsignandum. Hic sta-  
tim addenda venit consignatio epistolarum; quam tametsi Plini-  
us Nat. Hist. lib. 33, c. 1. Ægyptijs & toto orienti deneget: non signat  
oriens aut Ægyptus, etiam nunc, literis contenta solis: confirma-  
tum tamen eam ex Sacrà imus Historiâ ubi, quod & superius  
tactum Josephus à Pharaone accipit  annulum sigillatoriū  
qvq.

G



quomodo & reddit adducens historiam eam *Flav. Jesephus Antiq. Jud. lib. 2. cap. 3.* Annulos Ergo qui gestant sigillatorios, & tamen nihil signare iis dicendi essent, haud certè sibi constant. Quid? quod & Ægyptios facilè mittere possemus: & Romanos rerum dominos assumere: horum certè temporibus maximè frequentatam cosignationem undeqvaque patefcit. ex *Persio* videlicet. *Sat. 5. vers. 81.*

- - - *Assigna Marce, tabellas*

*Horatio Sat. libr. 2, 6. vers. 38.*

*Imprimat his, cura, Macenas signa tabellis*

& *Epist. lib. 1, 13. vers. 2.*

*Augusto reddas signata volumina.*

ex *Plauto: Trin. act. 3. sc. 3. vers. 58.*

*Sed epistolas quando obsignatas afferet,*

*Siquidem obsignatas attulerit epistolas.*

& ex sequentibus sufficientissimè clarescet. Signum porro quod impreslerint, variâ indiget expositione. Lacones ante inventos annulos lignis à vermibus exesis signâsse auctor est *Hesychius* in *Lexico*, in voce *θεραπεία* : *evulgator Etymologici, Eustatbius, Theophrastus, Suidas*: quorum verba legere licet ap. *Kirchmannum* de annulis cap. 2. pag. 7. & 8. Postmodum aureis inventis annulis, ipso auro signatum *Plinius* docet *Hist. Nat. lib. 33. cap. 1.* addens *Claudii Caesaris principatu signaturam gemmarum repertam*. Varia in his à variis exprimebantur. I. namq; *Dei cujusdam imaginem* pro signaculo habebant aliqui. unde *Plinius*: *Digitis Deos gestant.* *Hist. Nat. lib. 2. cap. 7.* & *Pyrrhus Epirotarum Rex* annulo (quod mirum) *novem Musarum choro, duce Phæbo*, ab ipsâ naturâ insignito usus legitur ap. *Salmuth* ad *Panciroll. Rer. Memorab. lib. 1. tit. 16. pag. 46. b. f.* quamvis *Pythagoræ* hoc institutum haud placuerit & his verbis in symbolis suis ex recensione *Amerbachii* vetuerit: *In annulo DEI figuram ne gestato.*

II. *Alicujus è majoribus simulacrum* eum in finem habebant. *Cicer. 3. Catil. §. 10.* *Est vero, signum, inquam, quidem notum, imago avi tui clarissimi viri.* Confer hîc *Valer. Max. lib. 3.*

lib. 3. cap. 5. exemplo 1. Meurf. Misc. Lac. lib. 2. cap. 15. pag. 170. m.

III. *Magistrorum.* ita Philosophos, Stoicos *Zenonem*, Academicos *Platonem* habuisse videmus ap. *Radaw Orat. Extemp.* lib. 2. pag. m. 301.

IV. *Amicorum Ovid.* Trist. lib. 1. el. 6. vers. 1.  
*Si quis habet nostri similes in imagine vultus,*  
*Deme meis hederas, Bacchica feta, comis.*

Et versu 6.

*In digito qui me fersq, refersq, tuo,*  
*Effigiemq, meam sulvo complexus in auro &c.*

vel *popularium.* Ita *Caryatides* saltantes *Clearchus* habuisse legitur ap. *Plut. in Artax.* tom. 1. fol. 1020. a. *Meurf. Misc. Lacon.* lib 2. cap 12. pag. 157. & lib. 3 cap. 4. 211. f.

V. *Cesaris vel Regis alicujus.* Sic *Polydori* imagine *Lacedæmoniorum* senatus omnia signabat. *Pausan* in *Lacon.* fol. 93. *Meurf Misc. Lacon.* lib. 3. c. 4. pag. 212. & *Alexandri M.* imagine in simili negotio *Augustus* usus ap. *Sveton.* cap. 50.

VI. *Propriâ icone* signabant. ut modo citatus *Augustus* l. c. ita *Ovidius* de *Pont.* lib. 2. el. 10.

*Et quid ab impressâ cognoscis imagine cera,*  
*Hæc tibi Nasonem scribere verba, Macer*  
*Auctorisq, sui si non est annulus index &c.*

& statim;

*Et licet oblitus pariter gemmæq, manusq, &c.*

*Plaut. Pseud.* act. 1. sc. 1. vers. 53.

*Eâ causâ miles hic reliquit symbolum,*  
*Expressam in cera ex annulo suam imaginem*  
*Ut qui huc afferret ejus similem symbolum,*  
*Cum eo simul me mitteret.*

Confer *ibid.* act. 4. sc. 7. vers. 105. *Panciroi. Thes. Var. Lect.* lib. 1. c. 28. & in *Commentario in Notitiam Dignitatum* lib. 1. cap. 95. fol. 63. 1. a. m.

VII. *Animalibus.* *Augustus* *Sphyngæ* (*Sveton.* l. c.) *Mæcenæ* *Ranâ* : (*Salmuth* ad *Panciroi. Rer. Memor.* lib. 1. tit. 58. pag. 315.) *Helena* *Pane*, *pisce.* (*Meurf. Miscell.* *Lacon.* lib. 3. cap. 4.)



*Rex Arcus aquilâ draconem tenente. ( Joseph. Antiq. Jud. lib. 12. cap. 5. pag. 319. lin. 12. Meurs. Misc. Lacon. l. c. )*

IIIX. *Notas tandem Hieroglyphicas. vel alia, ob certum eventum convenientia cuique signa præferabant. Solem orientem quadrijugis vectum Amphitruo Plautinus act. 1. sc. 2. vers. 266. Militem, machærâ qui elephantem disficiat Therapontigonus ap. eundem Curcul. act. 3. sc. 5. vers. 4. Seleucus auro-ram: lyram Polycrates: Plinius quadrigam: Harpocratem alii; alii amorem: alii alia. Conferantur in hanc rem Dalecamp. ad Plin. Hist. Nat. lib. 2. cap. 7. pag. 65. num. L. Taubman. ad Plaut. Amph. act. 1. sc. 1. v. 266. pag. 40. a. 2. b. 2. Salmuth. ad Panc. l. c. pag. 315. a. b. Kirckm. de annulis cap. 3. pag. 15. 16. Pancirol. Thesaur. Var. Lect. lib. 1. cap. 14. fol. 29.*

Insculpebantur autem nomina annulis ejusmodi non integra; sed initialibus tantummodo literis; unde Symmachus lib. 2. epist. 12. *Non minore sanè curâ cupio cognoscere, an omnes obsignatas sumpseris eo annulo, quo nomen meum intelligi, magis, quam legi promptum est, pag. 73.*

Id porro cui imprimebatur cera ut plurimâ in erat. Plaut. Pseud. act. 1. sc. 1. v. 54. Cic. Acad. quæst. lib. 4 §. 86. *quid si in ejusmodi cera centum sigilla impreßero hoc annulo &c. conferatur Polydor. Virgil. lib. 8. cap. 2. pag. m. 529. pr.*

Quandoque creta substituebatur Asiatica ut ap. Cic. 4. in Verr. §. 58. *Casu signû iste animadvertit in cretulâ: placuit ei: &c. & pro L. Flacco, §. 37. locus extat maximè insignis, qui sic habet: Obsignata erat cretâ illâ Asiatica, quæ ferè omnibus est nota nobis: quâ utuntur omnes, non modo in publicis, sed etiam in privatis literis quas quotidie videmus mitti à publicanis, sæpè unicuiq; nostrum: Nostra itaq; laudatio consignata cretâ est: in illo autem testimonio, quod accusatori dicitur datum ceram esse videmus. vide ib. §. 38. ad primû locum Freig. tom. 1. pag. 568. ad utrunq; Dionys. Gothofr. Lips. l. c.*

Da

*Dalechamp. ad Plin. Nat. Hist. lib. 38. cap. 7. pag. 1517. Passerat. ad Propert. lib. 4. el. 5. vers. 52. fol. 620 c. Pertinet huc fabella, quæ de Sibyllæ Erythrææ morte narrat Servius ad Virg. Aen. lib. 6. vers. 321. in editione vulgatâ: Apollo Sibyllam piè dilexit & poseendi quod vellet, arbitrium dedit. Illa hausit harenam manibus, & tam longam vitam poposcit. Id Apollo fieri posse respondit, si Erythræam insulâ relinqueret, illâ nunquàm revisura. Venit ergo Cumas, ubi corporis viribus deserta vitam in solâ voce retinuit: (cum quo coincidit fabula Ovidij Metam. lib. 14, 4.) hoc intelligentes ejus cives, sive invidiâ, sive commiseratione moti epistolam miserunt, cretâ, antiquo more, signatam. At illa visâ terrâ patriâ, in mortem resoluta est. fol. m. 229. b. m. f. editionis Venetæ anno 1493. Excusæ. Illud porrò de sigillis non prætereundum, diligenter ante fractionem inspecta esse, ut scilicet scirent, à quo missæ essent, & perlatarum integritas innotesceret. Exempla de prominus ex Plauto Bach. act. 4. sc. 6. vers. 19.*

*CH. Nunc hæc tabellas jussit me ferre tibi.*

*NI. Cedo. CH. Nosce signum. NI. novi. ubi ipse est. &c. confer Curcul. act. 3. vers. 52. Pseud. act. 4. sc. 2. vers. 151. Taubman. ad l. c. pag. 582. b. 2. & 1011 a. 2. ita Cicero 3. Catil. §. 10. Tabulas ostendimus Cethego: signum cognovit, nos linum incidimus, & §. 13. Ausonius Epist. 22. Hoc quò faciliùs impetrarem, aut quò majorem verereris molestiam, si negares, concinnatam jambis, signatamq; ad te epistolam misi, ne subornatum diceres tabellarium, si ad te sine signi fide veniret. Signavi autem, non ut Plautus ait,*

*Per ceram & linum literasq; interpretes;*

*sed per Poëticum characterem magis notavimus, tanquam signum impressum judicares. Adde Horatium Epist. lib. 2, 2. vers. 134. & Lips. Inst. Epist. cap. 4.*

## CAPUT IIX. & ultimum, De Missione Epistolarum.

Abolutis itaque epistolis, missio spectanda superest; quæ servulorum erat, si literæ concivium alicui inscriptæ forent, testante Lipsio Inst. Epist. cap. 4. sin verò terrâ marive transportandæ venirent, portitoribus, tanquam undiquaque

notissimis hominibus tradere eas moris erat. Hinc Geta Terentianus :

*Epistolam ab eo allatam esse audivi modo,  
Et ad portitores esse delatam : hanc petam.*

Phorm. act. 1. sc. 2. vers. 100.

& Megaronides ap. Plautum Trinum. act. 3. sc. 3. v. 65.

*Jam si obsignatas non feret, dici hoc potest,  
Apud Portitorem eas resignatas sibi,  
Inspectasq; esse.*

& versu 80. iterat eadem fere verba :

*Lepida est illa causa, ut commemoravi, dicere,  
Apud portitores inspectas esse.*

ubi vide Taubm. pag. 1357. th. 2.

Quandoque verò epistolarum deferendarum gratiâ *emittebantur* nonnulli : ( hoc enim propriè notabat absporationem quæ peregrè fiebat : uti *mittere* earum erat, quæ in urbe manerent : observante hoc discrimen Pancirol. Thes. Var. Lect. lib. 1. cap. 29. fol. 33. B. C. & lib. 2. c. 35. fol. 166. E. unde Rhodigino Cælio epithetæ dicuntur Antiqu. Lect. lib. 12. cap. 1. fol. 607. & lib. 22 cap. 14. fol. 1243. B.) & exinde *Tabellarii*, seu *Tabelliones* audiebant, quòd scilicet tabulas (i. e. ut suprâ explicitum fuit epistolas) aliò deferrent. Reges verò & Principes, quorum scire intererat, quid quâque in regione gereretur, certos constituiebant homines, qui vel per pedes, vel in equis, vel denique in vehiculis certum intra certum temporis spatium absolverent iter, quod *Persis* in acceptis ferendum est. *Herodotus* eam rem in *Uraniâ* his docet verbis : *Xerxes* & hæc fecit, & simul in *Persiden* misit, qui presentem cladem nuntiarent. his nuntiis nihil perniciosius transcurrit in rebus humanis : quod negotium hunc in modum est à *Persis* excogitatum : quot ex diebus tota via constat, totidem equos ac viros ferunt esse distinctos ad singulorum dierum iter

iter faciendum, quos neque vis nivium, neque imber, neque aestus, neque nox distinet, quin propositum sibi cursum celerrime conficiant. quorum cursorum primus mandata tradit secundo, secundus iterum tertio, & ita deinceps illa mandata in alium atque alium pertranseunt, quemadmodum apud Græcos fax, quam Vulcano per vices ferre cursores perseverant. hanc equorum cursationem Persæ *angarhion* appellant. fol. 215. pr. edit. Henr. Steph. Quis vero primus huic rei extiterit autor, ex Xenophonte discimus, quando libro *Cyropædiæ* octavo rem hoc expedit modo:

Καταμάτωρ δὲ ἢ αὐτὸν καὶ ἄλλο μηχανήματα πρὸς τὸ μεγα-  
 γηθῆ τῆς ἀρχῆς, ἐξ ἧ ταχέως ἠδ' ἀνελο, καὶ τὰ πάμπολυ  
 ἀπέχοντα, ὅπως ἔχοι. σκεψάμεν δὲ πόσῃν ἂν ὁδὸν ἴππων  
 κατανύτοι τὰς ἡμέρας ἐλαυνόμενοι ὡςε Δαρκεῖν, ἐποιήσατο  
 ἴππωνας τοσούτο Δαλείπωντας, καὶ ἴππους ἐν αὐτοῖς κατέ-  
 στησε, καὶ τῆς ἐπιμελομένης τέτων. καὶ ἄνδρα ἐφ' ἑκάτων τῶν  
 τόπων ἔλαξε τὸν ἐπιήδειον πρὸς ἀδέχουσαι τὰ φερόμενα  
 γράμματα, καὶ πρὸς ἀλαμφάνειν τῆς ἀπεικόντας ἴππους,  
 καὶ ἄλλης πέμπειν νεαλῆς. ἔσι δὲ ὅτε, ἔδὲ τὰς νυκτὰς φασὶν  
 ἴσασαι ταύτην τὴν πορείαν, ἀλλὰ τῶ ἡμερῶν ἀγγέλω τὸν νικ-  
 τορῆμόν δέχεσθαι. τέτων δὲ αὐτῶ γιγνομένων, φασὶ τινὲς δᾶττον  
 τῶν γενναίων ταύτην τὴν πορείαν ἀνύτειν. εἶδὲ τῆλοι ψεύδοντε, ἀλλ'  
 ὅτι γε τῶ ἀνθρωπίνων πρὸς εἰ ποσειῶν αὐτῆ ταχίση, τέτο ἔυδη-  
 λον. quæ ex interpretatione Francisci Philelphi sic se habent:  
*Insuper didicimus Cyrum aliud excogitasse ad imperii magnitudi-  
 nem ex quo celeriter sentiebat, quomodo ea haberent, quæ permul-  
 tum distarent. Cum enim considerasset, quantum itineris equus fa-  
 ceret die equitans, quantum sat esset, fecit equorum stabula tan-  
 tundem distantia, in quibus equos constituit, & qui equorum dili-  
 gentiam haberent. Utrunque quolibet in loco ordinavit, qui aptus  
 esset*

esset ad accipiendas literas quæ ferebantur, easq; tradendas: qui-  
 que reciperet equos, atq; homines, recentesq; alios emitteret. In-  
 terdum etiam ferunt ne nocte quidem intermitti hoc iter; sed diur-  
 no nuncio nocturnum succedere. quibus rebus ita gestis ajunt qui-  
 dam, hoc itiner velocius perfici, quàm gruam volatum. quòd si hoc  
 mentiuntur, illud certè manifestum est, hanc pedestrem pro-  
 fectionem velocissimam esse humanorum pedestrium itine-  
 rum. Hæc ille. A quâ re parasangarum nomen deductum  
 vide apud CL. Vossium de Vitiis sermonis lib. 1. cap. 5. pag.  
 24. in. Imitatum hoc Augustum Romanorum Imperatorem  
 Svetonius in ejus vitâ auctor est, quò scilicet celerius, ac sub  
 manû annūciari cognoscig; posset, quid in provinciâ quâq; gereretur,  
 juvenes primò modicis intervallis per militares vias, dehinc vehicu-  
 la disposuisse: quod commodius visum est, ut qui à loco eidem per-  
 ferrent literas, interrogari quoq; si quid res exigent, possent.  
 cap. 49.

Nos autem hîc nostras mittimus Epistolas,  
 decernentes pro concessâ nobis gra-

tiâ,

S. D. G.



VDT

M



4090.

dum foret v  
tum non fit  
in ejusmodi  
hoc significat  
lib. 1. cl. 8.

*Literaturae*

lib. 2. cl. 7.

*Esse factum*

cl. 8. Trist. 1.

*Martial. Ep.*

3. Eleg. i. v.

*la differit*

haud dubi

cap. 4. *Libr.*

*iusd. vitâ te*

*eandem re*

*Quo*

Nec aliud

*Perf. act. 2.*

*Toxil*

*Martial. lib.*

*Hos*

quibus ad

*Illoru*

gotio: qu

*mul. ut acco*

*los, quide*

*ad Attic. li*

*hæreamus*

*rem Rom.*

*ad Prolem*

*Ejusdē fer*

*cebantur*

*Lect. lib.*

*Memorab*


Latio dona  
it plurimum  
ventantur in  
mpe de Pont.

confer lib. 4.  
Trist. lib. 5. cl. 12  
21. Tibull. lib.  
væ Laur. Val  
em denotasse  
vitâ Lysandri  
dicitur in e  
minutivo Naso

*Ve ap. Plautum*

*illis.*

subitaneo ne  
6. epist. 18. Si  
albo per codicil  
lib. 9. ep. 26.  
ani tantum in  
Caligula equi  
illis amandavit  
abetur cap. 55.  
si punctim du  
vol. Thes. Var.  
Auctoris Rer.  
iptorem pag.  
250 f.



**Kodak**  
LICENSED PRODUCT

© The Tiffen Company, 2000

**KODAK Color Control Patches**

Centimetres

Inches

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

